



369

367

373

363

378

358

418

318

468

268

Ende

Anfang

ab Hunnis, quae gens olim ultra Maeotides paludes constituta in
ulteriori Scythia, a qua primitus Hunni venationis gratia exeuntes
per longissima paludum et terrarum spatia cervorum et aliarum
bestiarum vestigia sequentes tandem solum Pannoniae invenerunt
et reversi ad propria collecto exercitu redierunt et expulsis in-
colis a primaeva sua origine nomen genti et patriae indiderunt.
Est enim Pannonia sive Hungaria terra spatiostissima, fertilissima,
montibus et silvis munita, fluminibus et aquis irrigua, venis aureis
et aliis metallis ditissima etc. nobisque contermina.

Aliud Selavoniae regnum est Boëmia, regio valde bona, quae
montibus et silvis circumsepta per montes, silvas et flumina ab
aliis est divisa. Est autem, ut ex chronicis colligitur, vetustissi-
mum regnum, quod eo tempore, quo Aegyptus, incepit esse
regnum, ante Domini incarnationem 2426. Nam princeps quidam
Boëmus nomine, qui turris Babel extreptioni interfuit, per mare
veniens, Italiam pertransiens et Alemanniam penetrans ultra
Danubium consedit et terram a se Boëmiam nominavit. In ea
provincia Amazones, foeminae, sumsere regnandi principia; illae,
scilicet Amazones, quae nostris temporibus scriptis notae sunt
communibus, recitat enim Diodorus IV. Libr. Antiquar. historiarum
de Amazonibus Libycis, quae multis antea saeculis Trojanum bellum
praecesserunt, quarum miranda gesta habentur. Nostrae autem
post Trojanum bellum initia sumserunt in Ponto, juxta flumen
Thermadonta. Ferunt enim, tres fuisse sorores, pulchrae, etiam
praestantissimae (197 a) virgines, quarum una astrorum peritis-
sima fuit, altera herbarum mirabilis praegnostica, tertia quadam
singulari prudentia praedita. Ad has devoluta fuit regni possessio.
Communi autem consilio decreverunt, ut junior earum virum ac-
ciperet, qui esset Boëmiae dux, et terra per viros regeretur.
Suasit autem astronomo, ut quaereretur sorori vir, qui agrum in
duabus vaccis variis perscinderet; quo invento statim ejus stimu-
lus effloruit et adductus uxorem duxit, qui regno suscepto cal-
ceos rusticanos in regni thesauros ad sui suorumque humilitatem
servandam mandavit. Hi in hodiernum usque diem apud Pragam,
quae civitas caput est regni, diligenti cura servantur.

De Amazonibus istis mira leguntur in historiis, nam maritis
suis dolo imperfectis virorum suorum arma arripientes hostes
virili animo aggressae de maritorum nece sumserunt ultionem et